



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

17. Novembris. Exoptanda est sermonis gratia ad agendum cum proximis
necessaria. S. Ignat. p. 1. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Sinè interna hominis notitia tam parum proderit impensus bonâ institutione labor, quàm parum feliciter morbum curabit medicus, quem ignorat.

Externa signa fallunt, vel quia hypocrisis corrumpuntur, & velut vestis comica ad tempus assumuntur, vel quia idem plurius etiam contrariarum affectionum potest esse prognosticum. Sic fumus & ignem, & aquam notat.

17. Novembris.

Exoptanda est sermonis gratia ad agendum cum proximis necessaria. S. Ignat. p. c. 2.

UT ad amœniorem solis intuitum ultro se aperiunt flores, & velut corda pandunt, quæ ob tristem atræ noctis vultum concluderant; ita facilè subit aliorum corda, qui vocis, & vultûs amœnitate se facit amabilem.

Inimicus est humano generi, qui humanitatem exuit; hâc captivantur omnes, hâc universalis est ad hominum animos clavis, & magnes, qui omnes in sui primùm affectum, deinde etiam sequelam trahit.

Plûs uno alloquio affabilis efficiet, quàm

quàm centies repetitis alius objurgationibus. Cynicus, ut nulli parcit, quem non mordeat, sic exosus fit omnibus, communis odii scopus.

Magnum naturæ donum affabilitas, quam si ea parcior cui negavit, is arte conetur obtinere. Sæpius artefacta naturam superârunt. Affabilitas studiosa tantò naturali prævalet, quantò ars præ natura certior est magistra.

18. Novembris.

Ad unionem ex utraque parte juvabit omnis rerum temporalium contemptus, in quibus sui amor gravissimus hujus unionis, ac boni universalis hostis errare solet. S. Ign. p. 8. c. 1.

OMnia hæctenus in orbe bella conflavit meum, & tuum, contumax verbum, nec nisi lite, aut bello dirimendum; hoc ubi classicum intonat, actum est de mentium unione.

Æquilibrium sperari non potest, quàm diu bilancem alteram pondera prægravant; contrà, si vacua sit bilanx utraque, in promptu est æquilibrium. Sic facilis ibi coalescit concordia, ubi nulla est temporalium cupido. P 7 Nec